

05

A

636





DISPUTATIO PHYSICA

De

MAGIA,

Quid de ea, ejusq̄ operationib. variis sentiendum,

Quam

SUB AUSPICIO

Autoris Naturæ & hujus Universi,

IN INCLUTA ACADEMIA

VVITTEBERGENSI,

Publici exercitij gratiâ

proponunt

P R Æ S E S

M. SIGISMUNDUS EVENIUS,

Navenâ-Marchicus, Facult. Ph. Adjunct.

E T

R E S P O N D E N S

SAMUEL SCHEUNEVOGELIUS

BRANDEBURGENSIS.

In Collegio Philosophorum

Ad diem XXV. Aprilis, horis à VI. matutinis.

WITTEBERGÆ,

Typis Martini Henckelij, Anno 1612.

V I R I S

*Reverendis, Generis Nobilitate, virtutis & do-
ctrinae multiplicis laude, rerumq; variarum usu
præcellentibus Dominis,*

Dn. { PRÆPOSITO,
DECANO,
SENIORI,
CANTORI,

*Totique Canonorum Ecclesiæ Cathedralis Bran-
deburgensis Collegio Amplissimo :*

U T E T

V I R I S

*Nobilitate ac prosapia generis antiqua, pietate, eruditione,
cæterisq; virtutibus insigniter ornatis*

Dn. { Eric à Dierick in Falkenreh / } Hereditariis
{ Barthold à Dierick in Paretz / }

*Dominis, Patronis ac Fautoribus suis omni animi
observantia colendis,*

*In observantiæ submissæ τεκμήριον,
Et studiorum suorum commendationem,*

Ἄσκημα hoc Physicum.

D. . D. . D.

Samuel Scheunevogelius Brandenburg.

RESPONDENS.

05 A 636



THESES DE MAGIA.

I.

SCITÈ acutissimus quidam inquit Philosophus: Nemo mortalium (sit ille Argos aut Princeps Philosophorum) omnes Naturæ literas & characteres intelligit; multa enim clausa sunt mortalibus, ut mortales agnoscerent, DEUM solum esse sapientem. Multi palmares in Philosophia viri volumina latentis naturæ sigillis primæ sapientiæ diu consignata admirabili vi & solertia ingenij, velut clave divinitus datâ palàm aperuerunt, atq; ex eis apertis à centro ad cælum in omnibus DEUM legerunt nobis; verum ἐκ μέγας sparsim ac frustillatim omnes omnia, tecta mansere manentq; plurima, detecta non pauca sine veris & solidis, quæq; animum expleant, causis.

2. Verbo fidem ut faciamus, in theatrum Veritatis producimus materiam nomine ipso horrendam & in Christiano præsertim hoc orbe nostro abominabilem & detestandam, MAGIAM, non sui, sed excolentium, vitio hoc vitij nactam.

3. A Persis nomen formatum dicitur, nec Latinum, nec Græcum. Magos enim vel Magusios vocabant Persæ, quos antiquitas sapientes. Unde Suidas μαγείαν, inquit, ἐφ'εὖρον Μῆδοι καὶ Πέρσαι. Ad quam originem alludit sacra etiam pagina Matth. 2, 1.

4. In Desuetudinem καταχρήσῃ & improbo hominum more nobilissimam venisse rem dolendum est, quæ eruendis è Naturæ fundo mirabilium rerum causis, & miraculis naturæ detegendis tam cōmoda quàm necessaria existebat, quæ hodiè artis Diabolicæ, præstigiatoricæ, & quibus nescio monstrosis aliis traducitur nominibus. Quibus à calumniis ut eam vindicemus, usu vero ostenso corruptionum præstigias detegamus, sequentes breviter placet enodare quæstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid Magia vera & falsa?

1. Ut venena melle circumlita pharmacorum, & vitia simulationis specie & umbrâ virtutum nomen mentiuntur: Ita *Fascinatrix* & *Malefica Magia* externâ facie veram representare satagit, unde factum, ut matrona cum meretrice, hæc cum illa Repub. Christiana sit ejecta, & nomen etiam Magiæ ipsum jam ferè obliteratum.

2. Fucum hunc ut abstergamus, & nativâ utriusq; facie conspecta alteram ab altera sejungamus, λόγος τῆς ἁσίας. *Definitio* formam essentiamq; explicans operâ faciet suâ; quæ causas quoq;, quibus maximè à se dissident, in lucem protrahet.

3. *Magiam veram seu Physicam* dicit *Piccolom. lib. de facult. motus animal cap. 25.* esse conjunctionem quandam agentium & patientium invicem comparantium ad efficiendum aliquid per sui conditionem & naturam, latentem tamen & cum admiratione. *Magia* verò *Fascinatrix* est *Ars impia & scelerata mira præstandi, ope Diaboli, quatenus divina justitia permiserit.*

4. *Convenientiam* ex hisce definitionibus inter duas Magiæ species parvam aut nullam deprehendimus. Nam quamvis effectû, rerum mirabilium productione conspirare videantur, convenientiam tamen hanc potius esse disconvenientiam apparebit ex subsequentiis, ubi operum seu effectuum istorum Diabolicorum diversissimam esse & toto, quod ajunt, cœlo distinctam ab operibus Magiæ naturalis rationem, demonstrabitur ad oculum & nasum.

5. *Differentiæ* verò potius capita benè multa hinc emergunt, Et I. quidem definitum ipsum importat aliquid discriminis. Falsa enim illa *Magia* non ἀπλῶς ita appellatur, sed μερῶδες quædam *fascinatrix* à præcipua quadam ψυδενεργείας suæ specie. Est enim *Fascinum* ejusmodi incantationis genus, quo oculis seu visu vel sola laudatione quis enecatur vel enecari putatur ἀπὸ τῆς Φάσει καὶ ἴδῃ nomen nactum. Cui studio nō unas olim in *Africa* & *Italia* deditas fuisse familias author est *Plinius*.

6. Tale autem quid in naturali *Magia* non deprehenditur, quæ ultra naturæ vires nihil tentat, sed agentia cum patientibus jungendo effectiones producit, adspicientibus quidem & causas ignorantibus miras, usû verò salutare, hominumq; vitæ non tam noxias quam commodas aut visu jucundas, qualis fuit columba *Architæ* lignea volatilis, *Navicula* spontè mobilis ac sui remigij author, cujus fabricam profitetur *Scaliger exerc. 326.*

7. II. *Genus* hanc diversitatem auget. *Artis* indigetatur nomine, nō quod sit ἐξίς ποιητικὴ μὲν λόγος, sed quod talis appareat, imō si πόνησις etiam quandoq; vera heic occurrat, qualis simpliciter negari nequit, fraude illa scater & dolis, quibus quod boni inerat, totum corrumpitur: Φοσικὴν verò ista reapse efficit & rem producit, cū principia ποιητικὰ subincludat naturalia. Ut ergo naturalibus omnibus Σαυμαζόντι inest, lib. 1. de part. animal. cap. 5; ita in horum productione ea ipsa δυνάμιν ἀποδίδωσιν ἐκάστω καὶ ὄργανον lib. 4. de generat. animal. cap. 1.

8. III. *Determinatio generis* nihil vult aliud. *Impia* enim & *scelerata* quia *Ars* est, partim propter causam & authorem ejus primum, qui Pater omnis est iniquitatis & mendacij, partim propter modum qui illicitus, impius, verboq; DEI est contrarius, partim deniq; propter usum seu effectum, quod tū in utente impietatem augeat, tū aliis ea conciliet, quæ homine indigna Christiano, barbaros potius, imō fera deceat animalia, quàm homines & CHRISTO præsertim deditos.

9. *Naturalis contra Magia* nihil horum continet, sed ut *Natura* tota à supremo illo δημιουργῶ, ὃς σὺν ἐπλήρωσεν τὸ ὄλον, lib. 2. de generat. & corrupt. §. 10. dependet; ita hæc quoque causarum & effectuum mutabilium combinatio, quæ proinde pietati bonisq; moribus nulla ratione est contraria, cum πάντων δώρημα τέλειον ἀνωθεν, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν Φώτων Iacob. 1. v. 17. & principia, ut paulo antè dictum, ex Naturæ fonte emanent.

10. IV. *Efficiens causa* omne in hac diversitate tulit punctum, Cacodæmonis enim & spiritus illius tenebrarum fascinatricem illam Magiam esse foetum tam certum est quàm quod certissimum. Monstrat id 1. *Contractus seu confæderatio tam expressa*, quæ solenni voto, se DEO renunciaturus, Diabolo verò servituros Malefici & præstigiatores quique spiritui malo obligantur, quàm tacita, qua vel superstitiosis orandi formulis, quibus opem Diaboli aperte implorant, vel mediis utuntur ejusmodi, quæ neq; ex creationis ordine, nec ex singulari DEI ex eo tempore constitutione & benedictione, ullam in sese virtutem continent, effecta hujusmodi producendi.

II. 2. *Communis omnium maleficarum & veneficarum confessio*, quæ uno ore omnes sunt confessæ, ipsi sui omnium studiorum in-

ista prava arte fundamentum esse suam cum Dæmone pactioem, qui etiam præmium factus & autore dignum non rarò hisce rependit. Refert *Iohannes Franciscus Mirandulanus*, Magum quendam, qui curioso cuidam & male-sano principi Trojæ, oppugnationem repræsentare quasi in scena pollicitus esset, Achillemq; & Hectorem introducere præliantes, à Dæmone vivum ablatum nusquam comparuisse. Hæc merces annon ἀνθρώπων τόνον illum primum habuerit & agnoverit largitorem, & ita DEO ex ungue fuerit cognitus, quis sanus dubitabit?

12. Ostendit idem 3. & postremò actionis seu operationis conditio, quæ sive præstigiiosa sit, sive realis (non enim omnia per illusiones seu præstigias fiunt, ut postea demonstrabitur) Naturam Autorem agnoscere non poterit, quæ quippe uniformiter agit & per media ordinaria; Nec DEUM, qui nemini illudit & quando miracula producit, non secundum, sed supra naturæ agit ordinem. Quis ergo tertius superfit Magister, hinc non difficulter judicabitur.

13. Hæc & similia discrimina satis ostendunt in immensum distare præstigias illas Sathanicas à vera Magia, quæ à sapientibus omnibus approbatur, cum sit usus hymeneusque Naturæ, cujus Agricultura & Ars medendi sunt partes principaliores, peracta per medium quoddam corporeum, ut demonstrat Piccol. loco dicto cap. 26.

14. Cæterum quia in fictitia illa & fascinatrice Magia varia occurrunt, quæ specie mira apparent, quorum causæ fingi & pingi, opera verò ipsa vel negari vel excusari vario fucò solent, quid veri falsive illa contineant, paucis videre placet, ut hoc quoq; in Naturæ opere veritate cognita & perspecta, falsa & impia fugere discamus.

QVÆSTIO SECUNDA.

An putatitia seu præstigiatoria tantum sit Magia fascinatricis?

1. Ita vulgo persuasum est. Et Turca in hodiernum diem hoc modo fugitiva mancipia retrahere perhibentur, ita ut nomen servi in schedula scriptum suspendant in ejus cubiculo; mox diris verbis & devotionibus caput illius impetant, unde vi Dæmonicâ fieri dicunt,

ut

ut fugiens putet sibi in itinere Leones vel Dracones occurrere, vel mare vel flumina contra se exundare, & omnia tenebris ignescere. Quibus terriculamentis ille repulsus in servitutem pristinam morte duriores redeat.

2. Harum præstigiæ duæ potissimum occurrunt species; Quarum una corporis, corporisq; sensus; Altera mentem concernit. Corpori sensibusq; corporeis variis modis Cacodæmon, ut spiritus artificiosissimus & peritissimus, fucum facere potest, dum I. Temperamenti constitutionem observat, quam quo inclinare videt, ea ex parte ludibrium etiam facit. Sic quia Melancholicorum spiritus atrii sunt, ut in tenebris facile pavitare possint, Scalig. exercit. 307. sect. 5. naturam hanc concursu illusionis adjuvat & promovet, ut spectra & imagines horrendas sibi imaginentur homines, quæ nullibi apparent.

3. Cui rei II. organorum conducit corruptio, Humor, verbi gratia, in oculo, organum enim si sincerum & probe affectum non sit, fit ut res aliter appareat, quam est. Hinc Ictericis ea quæ alba sunt pallore circumfusa videntur, & iis qui oculorum suffusione laborant, omnia apparent cruenta, sicut exemplum huius rei habet Aristot. lib. 3. Meteor. cap. 4. de Antipheronte, qui sui simulachrum semper oculis observans conspexerit, quia humor ab oculis ophthalmia infectis defluens aërem faciebat crassiores, ex cuius repercussione hæc representatio ortum trahebat, ut & culices interdum in aëre volantes intueri nobis videmur eadem forte ex causa. Vide Gonimb. tract. 4. de Meteor. cap. 5.

4. III. Mediæ corruptio itidem non exigui est momenti, hanc enim facere videmus, ut sol matutinus per vapores conspectus rubeus appareat. Quia ergo hanc mille artifex variis præstare modis potest, quid mirum, Magicas præstigias ad circumscribendos oculos multum valere?

5. IV. Dispositio objectorum varia itidem huic rei conducit, ut in speculis apparet, quæ partibus effractis contigua adhuc, uno intente populum representant; contigua in arcu posita saltum, imaginem accedentem & recedentem, imo volantem etiam. Quæ omnia quia hominum industria inventa, adspicientibus admiratio-

nem

nem pariunt visumq; decipiunt, quid Spiritum illum Naturæ peritissimum existimabimus facere posse?

6. His ergo & similibus modis corporeis sensibus illudunt præstigiatores. Mentem verò hominis si inspiciamus, major adhuc deceptionis & illusionis hujus vis apparebit. Nam ὁ Θεὸς τῶν αἰῶν τῶν αἰῶν τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων ἐτύφλωσεν ut ait Scriptura 2. Cor. 4. v. 4; phantasiæ enim corruptio animo vehementem persuasionem imprimit, ut id fieri vel contingere sibi existimet, quod tamen revera non fit. Hinc multi Reges Regumq; filios se esse arbitrati sunt, qui nihil minus fuere. Cujus rei illustre exemplum extat apud Nicephorum in hist. Eccles. lib. 3 c. 24. de Barchochabo, qui falsa persuasionem ductus se stellam illam esse cælitus demissam ex Jacob oriundam, de qua Num. 24. v. 17. seditionem commovit, quæ 58. Judæorum myriadam strage ab Adriano Imperatore est composita.

7. His ergo præstigiis hominum perstringi oculos & mentem ut facile largimur; ita semper id fieri, & ita nihil operum realium à Maleficis ope Diaboli produci pernegamus, ducti rationibus & exemplis quam plurimis.

8. Rationes petimus partim ex scientia, partim ex potentia Angelorum. Scientia præditos esse summâ ex illo salvatoris apparet Marc. 13. v. 32. quod diem ac tempus novissimi diei neminem nosse, imò ne Angelos quidem affirmat. Quia ergo mali etiam Spiritus multarum rerum naturalium virtutem exarctissimè tenent, materiæ etiam dispositionem, astrorum influxum & aspectum illaq; omnia citissime applicare valent; quomodo non effectus inusitados vel in revel in modo, qui hominibus miraculosi appareant, producere possint?

9. De potentia res magis expedita. Fortis enim ille armatus & Princeps mundi, an non sufficientem habeat potentiam ad evertendum per motum localem totum universum & ordinem & compositionem ejus? Habet omnino, cum unus etiam Angelorum centum & octuaginta quinque; hominum millia unâ olim nocte trucidarit 2. Reg. 19 v. 35. Non ergo studium & facultas, sed permissum sepe deest ne, quod animo fovet & viribus valet, opere ipso præstet.

10. Exempla qui requirit, historiam tantum inspiciat Iobi, quæ ignem è cælo deductum in pecudes & pueros Jobi misisse Satanam; ventum validissimum, qui domum in qua filij & filia Jobi comedebant & bibebant, evertit, produxisse; ipsum Iobi corpus ulceribus pessimis à ver-

tice

tice capitis ad plantam pedis percussisse testis est locupletissima. Quæ omnia ut ex causarum naturalium dispositione varia tunc produxit, ita in gratiam dilectorum suorum Magorum adhuc producere posse hinc manifestum est.

11. Facile proinde hinc iudicium fieri potest de *Tempestatibus, tonitruis & pluvijs tempore & modo insolitis, veneficarum operâ, sæpe productis*; non mera hæc esse ludibria & illusiones, sed vera à Diabolo producta opera, qui ut longo temporis usu edoctus artifex astrorum vires Planetarumq; aspectus habet cognitos, tum etiam in regione suâ aërea (est enim ἀρχὼν τῆς ἐξουσίας τῆς αἰέρος, princeps cujus potestas est in aere, Eph. 2. v. 2.) idoneas ad siderum influxus recipiendos in promptu novit esse materias, ex quibus & quo tempore talia, qualia à strigibus experuntur, generari posse prævidet, vel quando alicui infligendam ex Dei voluntate plagam, cujus ipsum spectat executio, intelligit.

12. Aliàs enim, quid filicis post tergum occidentem versus projectio? quid arenæ ex aqua torrentis in aërem, aut è scopis cœlum versus dispersio? quid gallinæ nigræ deplumatæ aqua ferventissimæ ad minutissimas particulas percoctio? quid crucis Christi imago lignea vel cerea in ripis transversè collocata, & alia ejusmodi delictamenta, quibus miserimas aniculas Diabolus dementat, ad tempestates faciant producendas? Minus certè quam nihil.

13. Astutè tamen interim harum muliercularum mentes exagitat, varijsq; imbuit imaginibus & suggestionem multiplici, quasi ob invidiam in proximum, vel ob vindictam adversus inimicum sint aërem turbatura, tempestates excitatura & fulmina provocatura, hisce delirijs si utantur gesticulationibus; ut scilicet in officio eas retineat.

14. Extraordinariam nihilominus DEI potentiam in hisce tempestatibus non rarò conspiciendam se præbere, nulli negamus, Cuius rei exemplum nostra vidit ætas Colbergæ in Pomerania anno 1595, 21. Septemb. die, ubi circa horam septimam vespertinam auditum fuit horrendum aliquod fulmen & terribile tonitru cœlo admodum sereno, cuius fragor ultra dimidium tamen miliaris ab urbe non fuit auditus, tantus tamen, ut fundamenta urbis magna incolarum consternatione commoverit. Quod miraculosum fulmen calamitates maximæ in hac urbe sunt subsecutæ.

15. Quod si quis dixerit: *Scripturam miracula diabolica appellare* σημεῖα καὶ τέρατα ψεύδη 2. *Thef. 2. v. 9.* quæ proinde vera & realia esse nequeant; Respondemus fieri appellationem vel à parte potiori, quæ præstigijs non carent, vel ratione finis, quem Diabolus in edendis illis spectat & intendit, qui est mentiri hominibus ijsq; imponere seu illudere.

QVAESTIO TERTIA.

An species rerum mutari ullâ Magiâ possint?

Qui superficiem tantum rerum inspiciunt, nec intimiores consulunt causas, his ita persuasum est, homines in feles, lupos, & alia bruta animantia veneficijs transformari posse. *De Arcadibus refert Plinius lib. 8. cap. 22:* Ex gente Antæi cujusdam sorte familiae lectum ad Stagnum quoddam regionis ejus duci, vestituq; in quercu suspenso tranare, atq; abire in deserta, transfigurariq; in lupum & cum cæteris ejusdem generis congregari per annos novem. Quo in tempore si homine se abstinuerit, reverti ad idem stagnum, & cum tranaverit, effigiem recipere ad pristinum habitum addito novem annorum senio.

2. Fabulosa qui hæc esse dicit, fabulam ipsum dicent *Livones* & gentes finitimæ, qui pleno ore testantur quotannis certo tempore homines quosdam transire in lupos noxios, qui Germanis dicantur *Beer Wolfe*. Imo ipse *Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 16.* non fabuloso poeticoq; mendacio sed historicâ attestatione confirmari asserit, *Dionedis* socios in volucres fuisse conversos.

3. In cujus rei demonstrationem videtur etiam *Scripturae exemplum ex Daniele* adduci posse, ubi de *Nabuchodonosore* dicitur, quod cor ejus cum bestijs fuerit positum, quodq; fænum comederit ut bos *Dan. 5. v. 21. & cap. 4. v. 29.* Et de *Lothi uxore Gen. 19. v. 26* habetur, quod post se respiciens subversionem *Sodomæ* versa fuerit in statuam salis. Et ita conversio hominis in aliam speciem non videtur impossibilis. Imò quod rem propius attinet. *Incantatores Ægyptiaci* virgas projectas verterunt in *Dracones*, ut legimus *Exod. 7 v. 12.*

4. Nec in natura communi exemplis destituimur, quale est illud potissimum de *metallorum reliquorum in aurum transmutatione*; cum tamen metalla inter se ex physicorum ferè omnium sententiâ specie distinguantur.

5. Nobis contrarium videtur asserendum. Nulla neq; hu nanâ neq; Angelicâ potentia fieri posse, (Deum enim excipimus, in quo quia omnium rerum est ratio, eminentissimè omnia potest, omnia, quæ vult, agit) ut una rerum species perfecta transeat aut transmutetur in aliam, nisi rationibus subsequaturis.

6. I. Immutare rerum species, nihil aliud est quam creare, sic siquidem res, quæ antea non erat. Quamvis enim ex nihilo res non producat, materia tamen illa ad rem producendam apta non est; Effet enim aptitudo vel à potentia materiæ universali vel à particulari; non ab illa, quia facit materiam indifferentem & aptam ad cujuslibet formæ susceptionem; neq; ab hac, quæ certas requirit dispositiones à forma dependentes, quæ heic locum non obtinent. Ergo illa immutatio omninò erit creatio. Creare autem Dei solius proprium est, non igitur Creaturæ tribui potest; Sed is solus pro arbitrio suo perfectè vel restringere vel dilatare vel intendere vel remittere potest Naturæ potentiam & vires, idq; sine ullius creaturæ ope & adminiculo.

7. II. Efficientis conditio repugnat. Omne efficiens naturale specie cum eo, quod producit, convenire debet, idq; vel ita ut tota essentia ratio conveniat ei quod fit & nihil diversi contineat, ut in productionibus univocis, quando ignis ignem, homo hominem generat; vel ut quid contineat diversi, quod vel totam ejus, quod fit, rationem includit, ut quando architectus producit domum, vel partem tantum, ad quam tota ratio sequi potest, ut quando motus ignem excitat per caliditatem.

8. Nullus horum modorum in hac transmutatione occurrit. Neq; enim specie Diabolus cum homine vel animali convenit, cum sit Spiritus; neq; ratio animalis illi attribui potest, cum sit immortalis; neq; pars, quam ratio illa sequitur, quæ est τὸ σῶμα φυσικὸν δυνάμει ζωὴν ἔχον. 2. de anima §. 6. Transmutatio ergo hæc nullo ei modo tribui potest aut debet. Manet proinde illud Psalmistæ Pal. 136. v. 4: Tu Domine facis mirabilia solus.

9. Quid autem, inquires, fiet de exemplis oppositis? Respondemus illa nihil contra nos concludere. Nam Λυκανθεωπία seu hominum in lupos transformatio fictitia est, sicut in hac materia multum fingi & pingi solet, quando, ut thesi 6. præcedentis quæstionis indicatum, in morbo λυκανθεωπίας humores & spiritus in hæc Indibria idonei commoventur, iis potissimū, quibus atræ bilis nebulæ cerebrum vitare solent, quomodo laborantes & perturbati se lupos & lupinos mores induisse opinantur.

10. *Lusum autem esse merum hanc μεταμορφωσιω exemplo demonstrat Georgius Sabinus. Apud Borussos, inquit in lib. 7. Metamorph. Ovidij, fama est, tales inveniri, à quibus nuper unus fuit captus, & Duci Prussiae ad ductus à rusticis, quorum jumenta dilaniasse credebatur. Erat homo deformis, nec multum absimilis feræ, habebatq; vulnera in facie, quæ dicebatur accepisse morsus à canibus, ubi fuisset mutatus in lupum. Is à quibusdam, quibus Princeps id negotij dederat, interrogatus, aje bat, se quotannis bis ita mutari solitum, primò circa Natalem Chri sti, deinde circa festum Johannis Baptistæ, illisq; temporibus se effe rari & cogi impetu quodam naturæ, versari in sylvis inter lupos. Ma ximo autem horrore & languore corporis se affici, antequam pili e rumpant & forma mutetur. Hæc affirmanti credita sunt. Sed cum ad explorandam rei veritatem diu captus in arce detineretur ac dili genter observaretur à custodibus carceris, an aliquando efficeretur lupus, retinuit semper eandem formam, quam habuit: Is fuit exitus fabulæ. Hæc ille.*

11. *Quod si quis oggerat, ipsissimos tamen lupos conspici, & ita nudum & purum putum figmentum hoc dici non posse: Respondemus, hujus modi lupos Dæmones esse potius censendos, qui eam assumsere for mam, ut malè credulum hoc hominum genus magis irretirent suis vaframentis, insontes gravarent & sanguinis innocentis reum red derent Magistratum; cum interea ij, qui se in lupos credunt transfor matos, alto immergi somno Diaboli studio alicubi jacere comperi antur, quorum somnia iis confundit imaginibus, quas hominum o culis præstigiöse in pueris vel sectandis vel vorandis, sive armento læ dendo, aut longè lateq; hinc inde vagando veterator ille objicit. Qua de re latius differens legi potest V Vierus de præstigiis Dæmonum lib. 4. cap. 22.*

12. *Sacra exempla quod attinet, ad ea fusè aliàs respondent Theo logi; nos breviter. Vxor is Lothi in statuam salis conversio extra hanc est quæstionem & controversiam, in qua non quid Deus ex justa vindicta inobedientiæ possit vel faciat, sed quid Creatura, quæritur.*

13. *Nabuchodonosor verò Rex apud Daniele m 1. non dicitur immutatus quo ad substantiam, ut corpus ejus in corpus bestię verè degeneraret, sed mores duntaxat (D 31 iudicio mentem illius puniente) fuerunt con versi, quorum respectu humano sensu & intelligentiã orbatus fuisse*

perhi-

perhibetur, brutorum ritu vivens. 2. Si fuisset mutatus, non posset dici restitutus cap. 4. v. 21. Sed creatus de novo. 3. *Gor ejus non mutatum* sed feris tantum assimilatum, *sein Herz war gleich den Thieren* reddidit Lutherus. 4. Si maximè fuisset transmutatio, à DEO, non à Diabolo fuisset facta.

14. *Magorum verò exemplum simpliciter est Magicum.* Nam 1. Diaboli potentiâ non potuisse illos serpentes produci ante est dictum, cum hæc productio sit rei novâ creatione continuatio infinitam requirens virtutem. 2. Nec DEI potentiâ fuit facta, qui sibimet non est contrarius. 3. Ipse textus factum fuisse dicit *ex incantatione & magia*, Exod. 7. v. 11. 4. *Leviorem rem non poterat producere Diabolus* omni sua potentia, pediculos scilicet, Exod. 8. v. 18. & 19. imò rem productam ne abigere quidem Exod. 9. v. 11: quomodo ergo majorem & præstantiorem. 5. Demiq; *deglutitio* facta à serpentibus Aaronis, indicat Magorum serpentes non fuisse veros, nulla enim creatura aliam ejusdem magnitudinis in se recipere cum sui ipsius conservatione valet. Aut *si veri fuerunt Serpentes*, dicendum aliis ex locis Diabolum eos asportasse, cum Spiritus sit potentissimus & subtilissimus. Hæc & similia, de quibus latius differunt Theologi, evincunt, nec hos incantatores, nec Diabolum ipsum unquam unam creaturam in aliam mutasse.

15. *De Alchymia* multi hærent. *Quidam* sine fucò id haud fieri, ut aurum ex alijs fiat metallis arte: *Alij* possibile id existimant. Quicquid sit, si concedamus maximè, *mutatio* tamen illa non esset *artu nuda*, sed *naturæ potius*, quæ ut in terræ gremio, ita extra illam quoq; mutatio- nem præstare posset.

QVÆSTIO QVARTA.

An predictiones rerum futurarum Magis seu Veneficis conveniant?

1. *Operationes* sive fictitiæ, sive veræ illæ fuerint, arte hæc vanitatis & ludibriorum plenissimâ productas, hæctenus sumus contemplati; residuum est iudicium, *Divinationem potissimum seu futurorum predictionem concernens*, quæ de colophonis loco pauca delibare placet.

2. Ubi initio, qui τὸ ὄν insipientur, hasq; prædictiones nullas esse dicant reperire licet hoc præcipue fundamento, quod Annunciare futura solius sit DEI, qui hoc ceu privilegio & prærogativâ quadam ab idolis & Diabolo quam maximè se jungatur.

3. Quibus autem sufficere poterat. 1. *Rerum futurarum duplex quasi conditio seu consideratio.* Spectantur enim vel in sese sine ullo vel signorum vel causarum respectu, quomodo soli DEO subjacent, qui citra ullius creaturæ auxilium vel absq; aliis mediis extra se positis futura prædicit; *Vel in suis causis & signis* quæ eas aut concomitantur aut antecedunt, quomodo Angelis & hominibus quoq; competere prædictiones negari non potest.

4. 2. *Prædictionum diversitas.* Sunt enim illæ vel certæ & infallibiles, quales fuerunt Prophetarum in Veteri, Christi & Apostolorum in Novo Testamento, qui in spiritu viderunt certissimè & evidentissimè eventura multis retrò seculis; *Vel contingentes, probabiles & conjecturales,* quas hominibus & spiritibus suo modo congruere, experientia testis est locuples.

5. Dices: *Simpliciter necessarias prædictiones in creaturis etiam rationalibus locum habere.* Ex stellis enim annon prædici possunt non ea tantum, quæ corporum cœlestium habitudines concernunt varias, sed quæ hominum etiam fortunas, Principum obitus, bonum & malum, humanorum negotiorum eventum à die nativitatis hominum, ad extremum usq; vitæ halitum, imò regnorum inclinationes & conversiones? Et hæc quidem omnia tam certò, ut momentis etiam conveniant?

6. Deinde, quid *ad somnia* dicemus, quorum significatio tam est certa, ut Scriprura etiam creberrimis exemplis infallibilem eventuum ex somniis prædictorum certitudinem commendet, cujus rei exempla legere licet *Gen. 37. v. 7. & 43. v. 25. & passim alibi.* Taceo viscera animalium, ex quorum inspectione, quid non antiquitus circa ardua præsertim negocia fuit prædictum? Ut & *Crystallos*, in quibus, quæ in longè disitis etiam regionibus agitantur, non sciri tantum sed coràm adspici posse vulgo creditur?

7. Verùm hæc omnia nihil minùs quam infallibiles hujusmodi prædictiones evincunt. *Stellas enim* i. quod attinet, earum sanè non efficaciam tantum & vires præstantissimas orbis hic inferior experitur, sed signā-

di seu

di seu significandi quoque aliquam illis inesse vim negari nequit. Qualis autem illa sit, non immerito quaeritur? Respondemus divinae quidem providentiae esse signa, ut & tempestatum, pluviarum & serenitatum, actionum item humanarum in Oeconomia & Politia instituendarum, non autem eventuum humanorum, qualia esse jactitant Astrologi.

8. Accuratè enim hic distinguendum inter causas Generales seu Communes, quæ in omnia similiter agunt, & singulares singularium eventuum. Generales seu communes causa, quales etiam stellæ sunt, non immediatè particularem effectum producant, sed tantummodo particulares, immediatas & subordinatas causas adjuvant & promovent, ex quibus proinde prædictio certa & indubia fieri nequit. Perinde sicut ex gallinæ, cui 20 aut 30. variarum avium ova excludenda supponuntur, calore non potest divinationis fieri, cujus generis ex ovo quolibet pullus sit proventurus.

9. II. *Somma unius generis non sunt.* Numerant enim physici triplicia: Divina, Naturalia & Diabolica. Illa extraordinaria & ex divina & immediata suggestione profecta sunt, qualia thesis 6 allegat; Ista ex animi cogitationibus sive cordis affectionibus seu corporis constitutione excitata sunt & producta, pro humanarum cogitationum, cupiditatum & institutionum varietate varia; hæc denique ab ipso Satana suggesta & in cerebro humano formata & excitata, qualia fuerunt oracula in Ethnismo.

10. *Predictionum genera ex omnibus nasci largimur sed distincta.* Divina, uti à causa infallibili & omniscia profecta, ita infallibilem habent veritatem & prædictionem rerum magnarum conjunctam, ut in Pharaonis Gen. 37, Nebucadnezaris, Dan. 2. & 4. & alijs in Scriptura consignatis liquet. Humana verò, quia temperamentum potissimum & humorum constitutionem pro causa agnoscunt, illorum quoque naturam arguere solent, ita ut prælia cholerae, inundationes pituitae, luctus melancholicam, ludus sanguinem optimum denotet. Quamvis de studijs quoque, non improbabile hinc sumi judicium posse nulli negemus, cum ea, quæ interdum pro more consueto homines concipiunt & tractant, fortissimè spiritibus impressa animalibus operatione imaginationis nocturnæ recurrant.

II. *Diabolica verò somnia, quæ vel μερμηρησά, adjuratione, votis & sacris ab eo impetrata, vel ἀπεσοδόκητα, præter votum ac spem suggesta, nihil ut plurimum veritatis habent conjunctum, vel si quid, dubium ac ἐπαμ-*

Φοτερίζου

Φοτερίζον, vel ad superstitionem aut aliud quoddam peccatum directum. Quales ergo hinc prædictio possit fieri, per se liquidum, dubia scilicet, imbra & ad D E I obscurandam gloriam & hominum perniciem directa.

12. Eadem planè ratio est prædictionis ex visceribus animalium, quæ quid cognationis cum eventibus rerum habeant futuris quis, explicabit? Quis verò crebras circa hanc etiam deceptions ignorat, ut nihil dicam de expressissima in lege divina prohibitionem Deut. 18. v. 20. huius generis prædictionum, quæ unica ad falsitatem & vanitatem ejus detegendam esset sufficientissima.

13. Κρυθαλλομαντεία denique seu divinatio ex vitro quid aliud continet, quam cum Diabolo collusionem, qui ut peritissimus & variis locis præsentissimus spiritus ea in vitro repræsentare potest, quæ alibi gerantur, & ita prædictionum vanitate hominibus illudere.

Sed de his omnibus plenius dispiciemus in
ipsa συζητήσει.

Τῷ Θεῷ δόξα



05 A 636

Ⓟ

ULB Halle 3
 003 761 673




sb

VD19







DISPUTATIO PHYSICA
De
MAGIA,
*Quid de ea, ejusq; operationib. variis sentiendum,
Quam*
SUB AUSPICIO
Autoris Naturæ & hujus Universi,
IN INCLUTA ACADEMIA
VVITTEBERGENSI,
Publici exercitij gratiâ
proponunt
PRÆSES
M. SIGISMUNDUS EVENIUS,
Navenâ-Marchicus, Facult. Ph. Adjunct.
ET
RESPONDENS
SAMUEL SCHEUNEVOGELIUS
BRANDEBURGENSIS.
In Collegio Philosophorum
Ad diem XXV. Aprilis, horis à VI. matutinis.
WITTEBERGÆ,
Typis Martini Henckelij, Anno 1612.

